

cepta est doctrina Eugenii ut eo in decreto proponeretur quid circa materiam et formam ordinationis sit credendum.

V. Quaeritur de ministro ordinationis. Omnia sacramentaria et euchologia Ecclesiae latinae et graecae, canones omnes initio ducto ab Apostolicis usque ad Tridentinos, Patres Hieronymus, Epiphanius, Chrysostomus iam citati, quibus ceteri consentiunt, ministrum *χειροτονίας* qua in ordinem hierarchicum fideles adsciscuntur, sive ordinationis episcoporum, presbyterorum, diaconorum solum episcopum exhibent; et licet quidam veteres scholastici censuerint ex delegatione Pontificis posse presbyterum esse ministrum extraordinarium ordinationis diaconi et presbyteri, haec opinio (ut ait cl. Perrone l. c. n. 134), obsoleta est, et sane gratis asserta est praeter omne principium proprium theologiae. Privilegium vero quod dicitur ab Innocentio IV. concessum abbati cisterciensi conferendi diaconatum vel a plerisque ut falsum prorsus reiicitur, vel depravatum censetur. Inferiores vero ordines comprehenso subdiaconatu posse ex delegatione Pontificis presbyterum conferre convenit inter Theologos, tum propter concessionem factam olim chorepiscopis, qui simplices presbyteri erant, tum propter concessionem eandem factam recenti quoque aetate a Romana Sede presbyteris. Cf. Benedictum XIV De Synodo L. II. c. 11°.

Quaeritur vero an episcopus haereticus ab Ecclesia praecisus et damnatus valide ordinet. « Hanc quaestionem (ait Petrus Lombardus in IV. D. XXV. n. 1.) perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba qui plurimum dissentire videntur. » Verum heic perplexio nulla reapse est. Sententiae enim quas Magister affert veterum Patrum illicitam solum docent eam ordinationem, negantque potestatem executionis, honorem gradus, et iurisdictionem per eam conferri. Doctrina Ecclesiae allata in Th. XI. satis aperta est. Quod de praecisis ab Ecclesia universim dictum est, idem et in specialiter degradatis valet: est enim eadem ratio quia nempe character ordinatione imprimitur, qui iuxta Ecclesiae doctrinam indelebilis est.

VI. Quoad caelibatum clericorum lege egregium opus F. Antonii Zaccaria *Storia polemica del celibato sacro*. In summa haec tene: 1° Caelibatus clericorum non est de iure divino primario: 2° est tamen de iure divino secundario, maxime scilicet conveniens: 3° potestas vero illum praecipiendi ac nuptias irritandi eorum qui illo obligentur est de iure divino primario. 4° In Ecclesia latina semper iure servatus est, nec ullum exemplum afferri potest quo impune episcopus, presbyter, diaconus aut nuptias contraxerint aut nuptiis antea initis usi fuerint. Quod quidem apostolica Patrum constitutione constitutum esse docet Siricius ep. V. ad Africanos. Licet vero

quarto seculo nondum in omni Ecclesia latina subdiaconi ad continentiam obligarentur, id tamen servatum iam esse in Ecclesia Romana liquet ex Leonis epist. XIV. ad Anastas. Thessal. Romae enim altari subdiaconi ministrabant; quod cum factum deinceps esset commune ubique sub Pelagio II et Gregorio M., facta est lex continentiae universalis pro subdiaconis. 5° In Ecclesia quoque graeca haec consuetudo seculo 4° vixit; cuius rei testes sunt Hieronymus et Epiphanius. Ille adversus Vigilantium c. 1. inquit: « quid facient Orientis Ecclesiae, quid Aegypti et Sedis Apostolicae (habes omnes tres Patriarchatus), quae aut virgines clericos accipiunt, aut continentes; aut si uxores habuerint mariti esse desistunt? » Iste haeresi LIX, n. 4. aiens contra Novatianos « Quin eum insuper qui adhuc in matrimonio degit ac liberis dat operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi (nota: etiam *subdiaconi*) ordinem admittit. » Idem tradit in Expositione Fidei n. 21. Identidem tamen in Ecclesia graeca praeter hanc consuetudinem a presbyteris et diaconis et subdiaconis agebatur, cuius rei declarationem habes ab Epiphanio qui loco citato subdit: « Quod in illis locis praecipue fit ubi ecclesiastici canones (lex ergo aderat) accurate servantur. At enim nonnullis adhuc in locis presbyteri, diaconi et hypodiaconi liberos suscipiunt; respondeo non illud ex canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam quae certis temporibus negligenter agere ac connivere solet ob nimiam populi multitudinem, cum scilicet qui ad eas se functiones applicent non facile reperiuntur. » Ab ea sanctitate magis usque deficiens Ecclesia graeca edidit tandem sec. VII. canones trullanos.

§. XVI.

Sic notitia tradita eorum qui in Ecclesia iure divino potestatem obtinent sacrorum, quique eodem iure intrinsece discernuntur a laicis, disserendum nunc est de potestate iurisdictionis ad quam iure divino idonei sunt qui ad ordines hierarchicos spectant. De iis autem disputabimus, quae ad eius originem, subiectum, naturam et efficaciam manifestandam conducunt.

Origo huius potestatis proprio et speciali sensu est divina.

I. In 1° articulo gallicani conventus an. 1682 independentia potestatis civilis a potestate sacra eo argumento stabiliebatur quod iuxta Apostolum sit potestas illa a Deo, nempe, ut adsignificatur, sit potestas immediate a Deo. Quo quidem argumento probare quoque imo meliore iure potuissent potestatem paternam in filios, viri in uxorem, proprietarii in res suas etc. esse independentem a quavis alia

potestate ita ut nihil reliqui fuisset in suo regno Ludovici XIV auctoritati. Haec porro doctrina est loco fundamenti omnibus illis qui potestatem civilem independentem prorsus imo superiorem statuunt potestate ecclesiastica. Verum potestas politica spectari potest vel in universali, abstractione facta a quavis eius forma, vel in particulari secundum determinatas formas. Priore modo spectata ipsa est a Deo, et ideo est a Deo quia a Deo est creata natura ordinabilis in societatem; unde de iure naturae est quod sit talis potestas: ius autem naturae est quoddam ius divinum; idcirco nulla existente positiva Dei institutione, sed sola existente natura iam existit principium auctoritatis civilis. Forma vero regiminis sive monarchica sive aristocratica sive constitutionalis sive alia quaevis non est de iure naturae, sed ex quibusdam contingentibus factis, atque hominum tandem consilio et voluntate definitur. Est ergo haec auctoritas generice spectata naturalis ac de iure divino naturali, eadem tamen, si conferre licet, minus primario intenta a natura, quia necessaria minus, quam paterna (Cf. S. Gregorium in regula Pastoralis part. 2. c. 6. coll. Moralium L. XXVI. in caput 36. v. 46): forma autem quaevis ipsius de iure humano est, et idcirco mutabilis. E contrario potestas ecclesiastica non consequitur naturam, est enim supernaturalis; idcirco immediate a Deo est quatenus Deus positiva institutione eam insituit ordinem condens supernaturalem; praeterea non tantum in genere est a Deo instituta, sed in specie, h. e. forma ipsa determinati regiminis eadem institutione constituta est a Deo, ideoque ipsa quoque immutabilis est. Igitur speciali modo et proprio prae politica potestate eoque excellentiore originem habet a Deo potestas Ecclesiastica. Cf. Bellarminum De Laicis c. 6.

§. XVII.

Potestatem iurisdictionis in Ecclesia praeter Petri successores obtinere debent ex Christi institutione Episcopi qui singulis Ecclesiis ordinaria et immediata iurisdictione praesint.

I. Iurisdictionem Petri eiusque successorum probabimus in Tract. sequente. Nunc ab ea tractanda praescindimus. Quaestio quae restat est huiusmodi: an praeter Petrum et sub Petro sint alii ex Christi institutione qui ordinaria potestate regere debeant oves Christi, et quinam illi sint. Quia vero historice constat Episcopos semper fuisse qui Ecclesiam regerent, quaestio ea duplex huc redit an ex Christi institutione Ecclesia regenda sit ab Episcopis qui singularibus Ecclesiis ordinaria et immediata potestate praesint. Quamvis enim Christus ita rem instituere potuerit, ut commissa universa Ecclesia Pe-

tro reliquerit illi potestatem delegatos suos a se institutos mittendi qui singulas partes ovilis gubernantes eum in regimine universae Ecclesiae adiuvent; potuit tamen et sic quoque Christus rem instituere ut sua voluntate determinaverit eos qui essent vocandi in partem sollicitudinis a Petro, iique essent episcopi. Quae quidem hypothesis non exigit ut dicamus eadem primaria intentione Christum voluisse Primatum Petri ceterorumque episcoporum auctoritatem; sed eos ideo potuit velle Christus ut Petrus in regimine Ecclesiae universae adiuveretur eo quod Ecclesia ab uno quoad omnes actus necessarios absque ministerio alterius regi nequit. Si itaque Christus non fecit solum potestatem Petro delegandi suam auctoritatem aliis, quibus vellet et quam vellet, seu si non reliquit determinandum Petro quinam et quomodo ei essent associandi, sed determinavit ipse voluitque esse Episcopos ordinaria et immediata potestate instructos, dicendum est eos Ecclesiam sub Petro regere ex Christi institutione, qui primario quidem, prout voluit Ecclesiam simpliciter esse, Primatum Petri in ea instituit, secundario vero, prout rationem habuit universalitatis Ecclesiae et necessitatis eorum qui Petrum in ea regenda adiuvent, voluit esse Episcopos qui ordinario iure singulos greges gubernarent. Si autem ipse id voluit, sunt ergo Episcopi ex Christi institutione Ecclesiarum Pastores.

Quod cum defendimus nolumus dicere Christum ipsum determinasse limites singularum Ecclesiarum, vel prohibuisse ne ulla particularis Ecclesia nisi ab Episcopo eiusque ordinaria iurisdictione regeretur: haec enim necessaria non sunt ut vera sit illa institutio Christi. Neque ingredimur quaestionem an iurisdictione Episcoporum sit immediate a Deo an a Papa: ab hac enim quaestione, quam in seq. tractatu tractabimus, illud est independens; sive namque neges sive affirmes iurisdictionem Episcoporum esse immediate a Papa, semper verum esse potest Christi institutionem et voluntatem esse ut Ecclesia ab Episcopis sub Petro regatur ordinaria iurisdictione. Id est igitur quod modo demonstrandum nobis sumimus.

II. Iam vero ex institutione Apostolorum facta a Christo (Luc. VI. 13. Matth. XVIII, 18. Ioan. XX, 22) ac promissione perennitatis eorum ministerii (Matth. XXVIII, 20) liquet voluisse Christum ut praeter unum Petrum eiusque successores essent alii potestatem habentes regendi, docendi et sanctificandi, quae potestas perpetuo propagaretur in alios. « Erras (aiebat Bernardus ad Eugenium III De Consid. L. III, c. 4.) si ut summam ita et solam institutam a Deo vestram apostolicam potestatem existimas. » Porro vi illius institutionis qua statuitur non solum Petrum sed et alios, qui eius fratres dicuntur, debere obtinere in Ecclesia potestatem idque in perpetuum,